

05

A

2407



Q
ti

G

D
S.

J



JESU FORTUNANTE!
DISQVISITIO THEOLOGICA,

Quare hærefis Pon-
tificia inter reliquas præci-
puo quodam & perenni vigore
unice superet?

QVAM


*Consentiente Summè Reverendo Theo-
logorum in hac alma ordine*

PRÆSIDE

DN. JOH. FRID. MAYERO,
S.S Theol. D. ejusdemque Prof. Publ.

Ordin. Alumn. El. Ephoro, Templi OO. Sancto-
rum, quod ad arcem est, Præposito Sub-
stituto, &c.

DN. PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE SUO
*æternum devenerando,
publico Eruditorum examini sistit*

JOHANNES ANDREAS  Gleich/

Gerâ - Variscus,

EDITIO SECUNDA 1699.

TEBERGÆ, TYPIS CHRISTIANI FINCEL




05 A 2407





JESV FORTVNANTE!

§. I.



Ngelo medium caeli per-
volitante aeternum, Evangelium
innotuit gentibus, tribubus, lin-
guis, populis & universis orbem
habitantibus. Apoc. XIV. vers. 6.

Lutheri Megalandri conciones
Evangelicas orbis habitatores
tantum non omnes habuisse
auditores gratulantur sibi, quot

quot aeternum Evangelium receperunt, quotquot ma-
gna voce volitantis hujus Angeli admoniti Soli Deo timo-
rem & gloriam verè tribuere didicerunt. Sed undique
minus sibi gratularentur nisi adversorium diram noctem
magis, quàm Evangelii lucem amantium suffragiis festi-
nata hæc per unversum ferme terrarum orbem emenda-
tiram Christi sacrorum gloria aperius quoque exsplen-
duisset. Magno isti, quem Pontifici jactant, Goliatho
Bellarmino indignationis acerbitas crudissimusque dolor
crenam ita acuit: *Quis ignorat pestem Lutheranam in Sa-*

A 2

xonia

xonia paulo ante exortam mox Germaniam pene totam occupass., inde ad Aquilonem & Orientem profectam, Daniam Norwegiam Sveciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam, absumpsisse, tum ad Occidentem & meridiem pari celeritate delatam & Galliam Angliam Scotiam florentissima quondam regna brevi tempore populatam, ad extremum Alpes transcendisse & in Italiam usque penetrasse. Videatur is Prefat. Tom. I. B. Controvers. §. Atque utinam & c. & in Orat. Tom. IV. Oper. prefixa sub finem. Volantes currus miram indicant velocitatem, qua nova ista secta (Lutherana) instar pestiferæ tabis sese per varias regiones effudit. Nam non contenta Occiduis atq; Aquilonaribus regnis ad Orientem quoq; & meridiem, ad Græcos, ad Judos, ad ipsum novum orbem navigare ausa est. Bellarmino adjungimus alios Confessores veritatis hujus. Universam Germaniam Lutheri Evangelium cum seculorum seculis adæquandum audivisse & recepisse fatetur ipse Baronius de sede Antichristi si quis alius meritissimus, dum Tom. V. Annal. in Prefat. ad Bavaria Ducem Bavariam unice fovere veros Israelitas scribit, luce Pontificiæ doctrinæ collustratos, quam proinde cum Terræ GOSEN felicitate contendit. Quamquam & Bavaria eo tempore Evangelico sono quam maximè patuerit, & verbum Dei opera Lutheri ab inquinamentis meretricis Babylonicæ repurgatum insignes fructus ibi quoque præstiterit, adeo, ut Dux Bavaricæ conquestus fuerit per Legatos de multitudine subjectorum sibi passim Lutheranorum, quorsum videatur Gisbertus Voetius. Desperata Causa Papatus contra Jansenium. Lib. II. Sect. I. Cap. 5. p. m. 92. Galliam ad pedes Lutheri consedisse & propagatam instaurati seculi Christiani

ni

ni gloriam pronam atque gratam admisisse, non adeo facile nisi pervicaci conatu à Papæis negari poterit. Adhuc aures personant nostræ quæculo Convitio quo *Ludovicus Dorleans* unus ex *Confæderatis pro Catholica fide Parisiensibus Expostulat. pag. 5.* Gallos suos obtundere nititur, quanquam Cavillantium Papistarum ritu, Lutheranos cum Calvinianis confundit, eosque juxta æstimat. Et inde quoque *Thomæ Sanchezio* Germania Gallia Anglia loca ab hæreticis (stylo lojolitico qualis autem ille sit *Conf. Petrum Aurelium* in *Opp. & Valeriani M. Apologiam*) infessa nuncupantur, in *Decalog. Lib. II. Cap. IV. n. 5. f. m. II4.* Egregie propagationem Evangelicæ Doctrinæ promovebant Augustanæ Confessionis Versiones de quibus in *Histor. A. C. T. II p. 190. Cælestinus: Gloriosissimus Imperator Carolus V. mandabat Alphons. Valdesio & Alexandro Schweigio qui ipsi à secretis erant, ut Confessionem Augustanam in Hispanicam atque Italicam linguas converterent. Quam gratiam ab Imperatore Legatus Apostolicus quorundam Italorum causa, qui latine non erant docti, impetrasse fertur, easque interpretationes Pontifici misisse, idemque factitasse reliquos Legatos Gallia Anglia atque Portugallia Regum, Ducum Lotharingia, Juliacensium aliorumque Principum, quemque in vernaculam transferri curasse præcepta hæc professa à Lutheranis religionis eaque Principibus suis transmisisse. Quo accedit, quod & Græcis lingua sua perceperit vindicatam Evangelii prædicationem dum *Philippus Melancton* latens sub nomine *Pauli Dolscii* per *Demetrium* Patriarchæ Constantinopolitano *Josepho A* Confess. græce redditam tradi curavit. Quem deinde secuti Orthodoxi quidam Theologi emendatæ doctrinæ asser-*

tores studiosissimi Professores Tubingenses, qui cum Græcis amicitiam ambierunt & ad Jeremiam Patriarcham Constantinopolin Augustanam Confessionem & Compendium Theologicum *Heerbrandi* Græco Idiomate expressum transferri curarunt, quo conferantur *B. Dannbauerus in Stilo Vindecep. II. § Acta Theologorum Wurtembergensium*, ut adeo magis de Consensu Ecclesiæ Græcæ cum Doctrina Evangelica forte gloriari possimus, quam Roma Papalis, licet illum *Hugo Grotius*, magnus ille religionum fecialis in *Discussione Rivetiani Apologetici* tueatur: magis etiam, quam Reformati ex suspecta *Cyrilli Lucaris Patriarchæ Constantinopolitani Confessione*, quod egregie evincit *Georgius Fbelavius in Epistola dedicatoria Latina Interpretationi Libelli à Christ. Angelo Gr. de Statu & Ritu Ecclesiæ Græcæ conscripti*, & amicissimus celeberrim. *Olear.* luculentissima Oratione. A deo itaque exsplendescibat Evangelii lux Magni Vindicis Lutheri opera, tam late ejus se diffundebant radii, ut, licet non quæquam versus transmissi, tamen omnes oras collustrarent. Enimvero illane tandem nos expectabant tempora, ut nos, qui Ecclesiæ causam fortiter usque defendimus, in summas redigeremur angustias exequiasque veritati Evangelicæ ituri videremur? Stetimus ne à partibus doctrinæ tuæ Sanctissime Jehovah, quæ firmisissimis innixa fundamentis videtur superari inimicissimi nostri molitionibus, & quasi fumus nunc transire. Gallia Evangelio, quod tua nobis opera, *Divine Heros Lutheræ*, (cujus Cathedræ divinis nutibus concedens propediem sum vale dicturus:) purgarum reddidit & defœcatum, paruit, ceu modo Ludovicum Dorleans injusta expostulatione conqverentem audivimus; at nunc

ri supersti
 opo

tionum onere pressa ingemiscit. Italia de eodem Lucis fulgore gravata maximopere erat, nunc cimmeriis reddita tenebris. Austria, Stiria, Carinthia, Moravia malunt etiam turbatis quam limpidis potari Israelis fontibus. Bohemia evertit plane Candelabrum; Silesia Hungaria maxime periclitantur, ut veritas divinorum dogmatum apud paucos facta tecta remanserit. Alsatia proprium olim hujus thesauri domicilium eodem excidit & animam jam agit. Tanta proh dolor! de Ecclesia Christi Orthodoxa facta est diminutio, ut lucem ejus quæsitissimam in ipsa luce quærere sit necesse. Siccine Summe Deus ad ista nos reservasti tempora? in quibus sacerrimus Christi grex quotidie decrescit, adversus quem furoris nullo aut barbaris viribus nihil quidquam obtinendum promisisti: contra ea adversariorum impia colluvies insigni frequentissimaque superbit accessione, & Ecclesiæ Tuæ, Pater Optime, canenda Epicedia jam parat. Quis justo dolore non afficiatur, quod Evangelica Ecclesia hanc amputationem passa, tot scommatibus exagitanda & ludibriis vesanorum hominum propinanda fuerit. Quis non indignabundus cum in ætore conflictatur, cujus oculis subjicitur elegia, quam doctrinæ Lutheranorum recinit.

Adamus Conzen in Jubilo Jubilorum Evangelico & piis lacrymis omnium Romano Catholicorum p. 506. Vid. p. 507. in Octav.

*Obsecro barbatae cur tanta infantia mentes
Occupat, & vetulos cassa nuceta sinus?
Lutherum in partes sectarum, elumberaque videtis,
Ridiculo infamem scommate vel pueris,
Queritur Lutherum, nusquam est, disparuit, uno
Nomine vix reliquus, decidit in nihilum.*

Non

Non tam Deiphobum lacerum crudeliter ora,
 Ora manusque ambas fabula plangit anus;
 Quam lacer est creagra toties decoctus, & assus,
 Sive Melanchtonica, sive Gebenniaca,
 Jamque adeo cygno vestro, neque penna neque unguis
 Amplius, aut etiam crena relictam manet,
 Deplumem in cunis primo Carlstadius ortu
 Morsicat, & carptim flagrio Grammaticus;
 Flagrio quem Grajo tumidum cognomine tellus
 Æthiopem signat Maura fuisse nigrum.
 Hic Pelia in cacabo coctum hic terque recoxit
 Pseudevangeliū pessimus ipse coctus.
 Hinc etiam Aeglonico disceptum abdomine glutit
 Ille, cui in tergo lilia Franca rubent,
 Querite, Saxonis forsā manet integer obbis,
 Cautior & coctæ se illa tebravit aquæ.
 Hic quoque jam inflet am vomuit cum sanguine vitam,
 Mactata pulsus religione miser.
 Semirutas Svecorum ades, an forte Danorum
 Catholicis olim templa habitata tenet?
 Hic etiam exutus cappaque, habituque priore
 Ah paupertinum quam male firma trahit?
 Si redeat Phlegethonteo redivivus ab orco
 Posthumus; ab ipsi vix sibi notus erit:
 Non pudor est igitur tam festo Iubila cantu
 Tollere, tam illepidis orgia stulta jocis?
 Si de Luthero vel quinta Essenti restet;
 Morio sim, si vos desipuisse putem:
 Nunc nihil est reliquum nisi somnia, somnus, & umbra,
 Aegrotat vester, nec satis est, moritur,
 Jam capulo impositum Aleo Calvinia portat,
 Nemo Lutheriacam ut noverit esse fidem,

Fune

*Funebre, si sapitis, potius jam extrudite carmen,
 Hinc procul, hinc ludi, letitiæque vacent,
 Solvite, dum effertur, sacra vespillonia Patri,
 Hoc quoque luctifico figite lemma tholo.
 Lutherus moritur, moritur patriarcha Lutherus
 Mors tua, Calvinii dogma Lutbere fuit,
 O miserum, & jam se Lutheri palliat umbra
 Illa Lemannensis turpior umbra lacus.
 Rem Calvinus habet, nomen Lutherus inane,
 Decipimur, miseri dicite Lutherida.*

Cujus animus trepidatione & hæsitatione non commouetur, si in Armamentario inertis Schonmanniano legit tristem quæstionem. Cur nostro tempore; nullus Princeps ad Lutheranismum accedat, contra vero multi Principes & magnates Lutheri doctrinam adjudicent & ad Pontificiorum castra transeant, quorum & ibidem Catalogum texit. Quis inquam ex periculo late serpentis mali fati Ecclesiæ non indoleat? Sed bene habet, dum modo fata Ecclesiæ probe pependamus: nunquam illi omni ex parte beata fuit, nunquam ipsi Splendor ad perpetuitatem firmus promissus est. Ubinam temporibus ante diluvianis vera Ecclesia conspiciebatur? Nonne perpetuo decrescebat & ad tam paucos recidebat, ut præter Noemicam familiam nulla vera Ecclesiæ membra invenire liceret. *Genes. 8. v. 6.* Atqui Christus testatur, quo propius orbis sit ab futuro ab extremo die, eo magis accessurum eundem ad pravos Noemiciævi, mores. *Luca XXVII. 26.*

B

In

In quantas non angustias Ecclesia Eliæ tempore redacta erat? Ex tot myriacibus Israelis modo septies mille integros se conservarant ab adgeniculationibus Baaliticis ii-que juxta cum ignotissimis ignorabantur *1. Reg. XIX. 18.* Qvis Ecclesiam melius definiverit quam qui caput ejusdem est, ad quem singula membra spectant. At qui is pusillum gregem Ecclesiam indigitat. *Luc. XII. v. 32.* Grex igitur vel ideo verus quia pusillus, Plura in Apologiæ usum diximus *im betrübten Kinde Gottes Dominica IV. Epiphanius. pag. 379.*

§. II.

Hæc ergò semper fuerunt orthodoxæ Ecclesiæ fata ut alias effloruerit exsplendueritque, aliàs decreverit & nubibus atris quasi obducta ægre conspici potuerit: ut nihilo tamen secius *firmum, Dei fundamentum persitet, habens signaculum hoc, cognovit Dominus qui sunt sui. 2. Tim. 2. v. 19.* ut nihilominus non dies alius sit militanti veræ Ecclesiæ quam qui universitati rerum creatarum ultimus futurus: siquidem *nec inferorum porta cætum qui Deo in vera fide colligitur, sint superatura Matth. XVI. v. 18.* Licet Ecclesia sit invisibilis *Psalmo LXXXIII. v. 4. hostes machinantur adversus populum tuum & consilia captant adversus occultos tuos* quorsum notari meretur explicatio à Lutero subjecta: *Hi sunt qui vera fide in abscondito agunt ut pro hereticis habeantur.* Conferantur *Loci ad Rom. 2. v. 28. & 1. Petri III. v. 3.* ut proinde & in Symbolo profiteamur nos credere Ecclesiam manifesto argumento, quod ea genere eorum sit, quæ non videantur ut habet fidei definitio apud *Paulum Epist. ad Hebræos XI. v. 1.* Quot autem non oculis perinde exposita, vel maxime eo interpretandum, quod à mundo non sit conspicienda, pvip-
peqv

pe qvi nec fidem nec inde promanantiæ theologicè bona
 opera attendit, sed externum splendorem effictæ Sanctita-
 tis superstiosè admiratur, ut adeo pateat *secundum quid* &
 non absolute esse invisibilem: deinde etiam; ut intelligatur
 vel maximè eandem talem esse *gradualiter* siquidem fata
 Ecclesiæ cum tantis vicissitudinib9 sunt conjuncta. Perinde
 ut Luna interdum plane se conspectui subducit nostro, in-
 terdum autem aliquot gradibus nobis visenda & ad incre-
 mentum emergit amplius, ita in eo rerum articulo nonnū-
 quam fortuna Ecclesiæ deprehenditur ut plane internosci
 haud queat ubinam sit gentium, aut ex quibus definite con-
 stet, cujus status exempla nobis jam adducta sunt; interdum
 velut eluctata nubes & tempestates emicat aliquantis per
 confessionibus, testimoniis veritatis atque martyriis quæ
 ad planum plenumque splendorem collata instar radii li-
 brati sese habent. Confer quæ Doctores nostri de Ecclesia
 invisibili cum primis *B. Dannbauerus* Lact. Catechet. ex fa-
 cris acceperunt reddideruntque oraculis. Vera itaque Eccle-
 sia invisibilis, sed suo opte ingenio immortalis, habens in se,
 unde Deo sic volente propagationem suam cum seculorum
 cursu adæquare possit. Longe alia ratio est hæreseos quæ
 quidem subinde latisime quoque serpit, citò tamen extin-
 guitur. Vis exemplum? execrandæ Arrii blasphemix brevi
 admodum temporis spatio maxima sumserunt incrementa
 atque totum Orbem pervagatæ, quod ex Hieronymo docet
 idemque pro more acerbissimis Sannis exagitat *Christo-
 phorus Christophori Sandius Arrianorum hodiernorum Proma-
 chus, in Nucleo Historia Ecclesiastica Lib. 2. p. m. 7. Hoc enim
 fuit tempus, quo totum orbem Arrianum fuisse scribit Hierony-
 mus contra Lucifer. Et in Psalm. 133. Arianos & Eunomianos*

quod ad doctrinam attinet (omnes Ecclesias possedisse & in Chronico 364. omnes pene toto orbe Ecclesias Arrianorum consortio pollutas: Et III. ad Gal. Cap. 5. Arius, inquit, in Alexandria una scintilla fuit, sed quia non statim oppressa est totum orbem ejus flamma populata est. Theod. I. 14. dicit heresim Arianam habuisse testimonium & patrocinium ab Imperatore (Constantino M.) & omnibus mortalibus. Conf. II. 16. ubi Constantius Imp. exprobrat Liberio, quod se totius mundi Consensui opponeret, faciens cum uno scelestissimo Athanasio, cujus scelera ipsomet presente in Concilio Tyrio essent condemnata ab omnibus totius terrarum Orbis Episcopis. Ubi ergo hoc seculo fuit Ecclesia Catholica? Scilicet in puteo (ni fallor) Treverensi. In illum enim descendisse traditur Athanasius, ibique per sex annos delituisse, unde solem conspicere non potuerit, ut impleretur illud, quod diu ante per Democritum erat predictum: Veritas latet in puteo profundo; licet Lactantius Spiritu Origenico plenus L. III. Cap. 27. Democrito Contradicens asserat veritatem esse in summo Montis excelsi vertice. Cum itaque Pontificii & Syneretisti a toties crepent Ecclesiam Catholicam & Tò Ubiq; ab omnibus & semper: videant ne cogantur statuere seculo quarto Ecclesiam Arrianam & nomine & re ipsa fuisse Catholicam. Quo sane ipso Sandius quoq; Vincentii Lerinensis Semipelagiani hæretici (qualem ipsum Monachus doctissimus D. Augustini regulam professus Henricus de Noris Histor. Pelag. Lib. II. fol. 245. non immerito venditavit) definitionem Catholicismi explodit: Hæserat ubique quidem Arriana hæresis quæ adoleverat ocys, sed mox subsidebat & extinguebatur, nisi quod mortis postliminio ab impiis $\chi\rho\iota\sigma\mu\acute{\alpha}\chi\omicron\iota\varsigma$ Socinianis & Photinianis, sed iis valde quidem exiguis sit animata. Atque istud ingenium est hæresium

fium; ut ebullientibus quidem animis acrius invalescant, & quæqua verso profeminentur, sed veritate eluctante profligentur, vanique homines animo gladiatorio ad Ecclesiam affectantes viam ludibrium debeant: Perinude ut flammæ quæ defecatis frugibus æstivo sole arefactas stipulas corripientes velocissime comburunt easdem, & multas facas spargunt, consumtis vero illis opinione citius extinguuntur, impiæ opiniones pervadunt mentes, ut miras vicissitudines incrementorum & decrementorum in reliquis hæresibus cognoscere liceat:

Papæa autem hæresis hæc fata à se quasi amolitur & propriam quandam felicitatem tempore jam bene longo conservat integram, ut eximia quodammodo à motibus in religionis negotio excitatis videatur: quod & illæ Ecclesiæ, quæ quondam luce Evangelii collustratæ erant pessimo exemplo ad pristinum errorem relabantur, & quæ nunc ferme in provincias rediguntur terræ eodem imbuantur, (ut non min9 superstitiose quam supercilio se scripserit *Prosper: Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris caput mundi quicquid non possidet armis, religione tenet: vid. Thom. Stapleton. de Admirandis Romana Ecclesia sive de magnitudine ejusdem p. m. 12.*) ut ad diuturnitatem omnibus modis contendere videatur: nisi *Deus Dominus filium perditionis sceleratum istum hominem conficiat Spiritu oris sui eumque prorsus aboleat ingruente adventu suo. 2. Theffalon. II. v. 8.*

§. III. Felici hæresin Papæam sidere oportet esse natam, si fidem ullam mereantur quæ Astrologo Theologus *Hieron. Cardanus*, qui in astris Biblia sibi quædam fingebat, juxta quæ nativitatem & mortem Christi Themate quodam Astrologico, quod videre est *Comment. in Ptolom. L. 2. de Astr. judicis Text. 54.*) definiebat, pari vanitate de astrorum causariis motibus & cœli affectionibus memoriæ pro-

didit, quod inde quoque de religionum ortu & progressu
 iudicium captari queat. In quam sententiam verba Car-
 dani adducit *Theophilus Raynaudus de bonis & malis Libris.*
P. I. Erotemate IV. p. m. 27. Lit. de Supplemento Almanachi C.
22. Cardanus statuit Legem Judaicam à Saturno esse, Christia-
nam à Jove & Mercurio, Mahumetanam à Sole & Marte ex
equo dominantibus, quorum alter justitiam alter severitatem in-
fundat, Idololatriam à Luna & Marte idem in Oper. de Genitu-
ris in octava ait, Christianam Legem foveri ab igneo trigono,
Mahumetanam ab aqueo & Genitura undecima Lutheri secta
ait invaluisse propter Spicam Virginis. Quam tamen hujus
 pertinacis felicitatis causam adseri concedere haud possu-
 mus edocti sacro Codice omnia quæ bona quæve injucun-
 da vocitemus, divinitus proficisci, atqui istos Constellatio-
 num architectos ab ipso derideri Numine *Esaiæ XLVII. v. 13.*
 Conferantur, quæ de Theologia judiciaria monuimus *Ec-*
loga ad Evangelium in festo Johannis qv. IV. Sane ex ipso or-
 dine Papæorum, quibus de meliori luto finxit præcordia
 Titan has riserunt Cardani nugas, & Scriptor non incele-
 bris Alexander ab Angelis contumeliosa filiæ fata expo-
 brando argute Cardanum confundit, quo videri potest no-
 ster olim (in Academia enim Altorfina Professore agebat
 celeberrimum) *Philippus Caroli* multis ob eruditionem e-
 logiis ornandus, sed ob inconstantiam animi & deser-
 tam religionem orthodoxam gravissimam incurrens re-
 prehensionem *Animadversionibus in Agellium Lib. XIV. in*
Cap. II. p. 530. Non ergo astris futurorum moderamina con-
 veniunt, neque ex stellis iste perennis vigor hæreseos Pa-
 pææ multum superstitis potest derivari. Nam ut in perio-
 dis

dis imperiorum à numeris Criticis ab astrorum Synodis dissiidiisve non potest causa arcessi, quod præclare ostendit *B.D. Paulus Roberus in Oratione Professionis Theologicae in hac alma auspicatoria*, ita nec astra ad religionum ortus & progressus quicquam conferunt. Illud autem falsissimum est quod Sedi Petri perpetua aliqua stabilitas promissa sit *Matt. XVI. v. 18.* tum quia nec Petrus nec sedes Petri illis verbis intelligitur, neque enim *αὐτῶν* ad Petrum, sed ad Ecclesiam *ἐκείνην* refertur ut *αὐτοψία* docet & *Augustinus*, *Hieronymus*, *Chrysostomus* & *Theophylactus Euthymius b. l.* & *Anastasius in Orat. de Uno Deo confirmant*, Conferatur *B.D. Dorschhaus Theol. Moral. p. 208.*

§. IV.

Enimvero si alius in ipsa viscera Pontificii Status penetrem⁹ facile opinor constabit, non habere in se veritatem dogmatum cum Sacra Scriptura undique consentientium, sed mysteria iniquitatis intexuisse prætextate religioni, unde eveniat, ut & felicissime propagetur & diutissimè conservetur. *Ecclesia siquidem Romanae Opulentia* eandem munit & amplificat, ut, quoad pecuniæ obœdient omnia, vix defuturi videantur Pontificis Romani asseclæ, qui cum capite suo Papa ad eandem partem, orationis velint referri. *Ita namque Abbas ille exemptas querenti* cujus pars Orationis sit *Papæ respondit, Papa est participii, quia partem cepit de seculari cum totius orbis dolore significatione sine modis & temporibus, uti refert, in rebus Germanicis versatissimus Hortlederus von den Ursachen des Teutschen Krieges Lib. 1. cap. 41. n. 53.* Est autem Romanæ Ecclesia opulencia tanta ut facile cum terræ Dominatium thesauris certet, tet,

tet, quin & eosdem superet quod facile evincemus, opes Pontificiæ Ecclesiæ illustraturi accuratius. *Innocentius sane IV.* Thomæ Aquinati ingenue confitebatur ostendendo divitias suas: *Ecclesiam non posse dicere cum Petro* (cujus tamen successor esse volebat *Innocentius IV.*) *aurum & argentum non habeo*, sed false excipiebat Aquinas ex contextu eodem Biblico, ad quem alludebat Papa: *neque etiam dicere potes surge & ambula*, divitiarum quidem affluentiam concedens sed miraculorum gloriam denegans. Vid. *Cornelius à Lapide in caput III. Actuum Apostolicorum*. Quanti enim non sunt reditus ipsius Pontificis Romani? videat quis certorum reddituum Romanorum Pontificum rationem, quam *Laur. Bank in appendice Taxæ sive Cancellariæ Apostolicæ* init, & ex eo desumit *Dorotheus Ascianus in Montibus Pietatis pag. 701. seqq.* adde rationem incertorum reddituum p. 706. qui sane & ipsi non exiguum rerum gerendarum nervum sufficiunt. Sed ut aliquanto explicatius constet de rebus Pontificis placet hic in eam sententiam referre Eclogam *Job. Hoornbeckii Disput. ad Bullam Innocentii X. abrogantis pacem Germania p. 48.* Scriptus est a. cl. Ic Ixxii. Commentariolus, de „*Reditibus & expensis pontificis Romani*, quem inseruit suæ „*de Rep. Romana Descriptioni Scriverius*, ubi reddituum Papalium accuratam init Auctor rationem: primum quod ex „*vectigalibus Romæ inferuntur Camera coronat. 17000. Ex* „*Salinis quotannis 8660. Ex frumenti molitione 16000.* „*Tum quantum Marchia, Romana, Umbria, Campania,* „*Spoletum, Ancona, & reliqua loca conferant in Thesaurum Papalem, diligenter enumerat: etiam reddituum magis „*incertorum summam construit: quod Collectaria Hispaniæ**

annu-

annuatim censeatur coronat. 40000, Lusitaniæ, 20000.,
 Proventus frumenti in Patrimonio Marchiæ, & Romanæ.,
 30000. Duo primi anni P. Sixti dederunt 1300000. Reliqua
 ibi videas. Quin si Papam aut Παπομανδύτας audiamus.,
 Romanæ sedi omnia vectigalia: ex quibus proinde, in sub-
 jectionis argumentum, hæc vel illa sibi deberi persuasum,
 hominibus velint. Sic Angliam olim vectigalem Roma-
 no Episcopo Innocentio III. (qui sedit a. c10 cxcv.) factam,
 à Rege Johanne, atque illam ob causam mille marcas ster-
 lingorum ei annuatim pendendas, asserunt. Quod verò de
 denario Petri ajunt, à Regina primum instituto a. Ic. ccxl.,
 (ad quem & sequentes annos Ic cclxxv. & Ib. cccxlvii. vi.,
 de sis Baronii Annales : uti eundem, ad a. Ib cclv, de dona-
 natione Regis Etheluphi, & ad a. Ib cclxix. regis Salomonis.,
 & a. Ib cccclxxiv. Beorredi, Merciorum Regis) non tanquam,
 tributum Romano Pontifici, sed subsidii loco Anglis Romæ,
 egentibus concessum fuit, uti proinde exserte in epistola,
 Regis Eduardi a. Ib ccccix. *eleemosyna Regis* appellatur. Ipse-
 que Baronius, a. Ic. cccclxxxviii. Regem Aelfredum me-
 morat, Romam Episcopum Vintoniensem misisse, ad per-
 ferendas eo eleemosynas. Eundemque Regem in annum
 sequentem collectam universalem tam clero quam Laicis,
 imposuisse, Romam & Ierosolymam pro egenis ibi loco-
 rum sustendandis, mittendam. Denarius ille erat nummus,
 argentus, singulis domibus annuatim ab iis persolvendus,
 impositus: de quo Polydorus Virgilius, *Histor. Anglic. lib.,*
IV. & V. Qui idem *lib. XV.* de facta illis Regis Johannis do-
 natione, non aliter, quam ex fama, & neutiquam servanda,
 à sentibus, si vel aliqua intervenisset, donatione loquitur:

C

Ex

„Ex quo fama est Johannem cupientem perpetuare memo-
 „riam muneris accepti, ea lege fecisse se Innocentii benefi-
 „ciarium, ut Reges deinceps, à Pontifice duntaxat Rom.
 „juria regni consequerentur. Cæterum has conciliationis
 „leges, qui secuti sunt reges, minime servarunt, neque an-
 „nales Anglici de ejusmodi deditioe loquuntur. Quare
 „illa omnia onera Johanni tantummodo, qui deliquisset
 „imposita, non item successoribus sustinenda fuisse, satis
 „constat. & porrò: Apud quosdam varie scriptum reperio,
 „de his quæ inter Johannem & Pandulphum, super recon-
 „ciliatione ejusmodi gesta sunt, quæ ut scriptorum arbitrio
 „conficta, nequaquam commemoranda duximus. Pri-
 „mus autem in Anglia denarium istum, vel tributum Inæ,
 „quod vocabant, sustulit Rex Henricus VIII. a. clō Io xxxiv.
 „*Scotiam* sibi asseruit P. Bonifacius, quando Eduardo Regi
 „ne Scotos bello vexaret edixit: *quod id regnum antea in Ro-*
 „*mani Pontificis fidem & potestatem à Scotis ipsis permissum fuis-*
 „*set, ideoque esse verabat, sibi soli integrum esse cuicumque*
 „*liberet, dare auferre.* Polydorus. lib. XVII. *Galliam* eti-
 „am, si quis Baronio credat, Romanæ sedis vectigalem fecit
 „Carolus M. atque ad exemplum Angliæ, illi quoque impo-
 „nere ejusmodi denarium cogitavit. Vide Annalium scri-
 „ptorem, ad a. Io cclxxxii. ubi idem de *Saxonia* dicit: atque
 „ad a. Io ccciv. de *Hungaria*: ad a. clō. narrat regnum hoc à
 „Rege Stephano Romanæ Ecclesiæ donatum fuisse. Et *Hispa-*
 „*niam*, eidem vectigalem factam, refert ad a. Io & Io. cccxlv.
 „De Regno *Sicilia* notissima est historia. Tum in Oriente
 „nqv̄as sibi arroget Papa terras & regiones, apud eundem An-
 „alistas videre licet, ad a. Io ccc ix. Laurentius Banck I. C.

Pro-

Professor Franekerensis, in *Diascepsi, de Tyrannide Papæ*, nu-
 per edita, cap. XIII. XIV. & deinceps ostendit Papales usur-
 pationes non in urbem Romam & agrum Romanum solum,
 vel patrimonium, quod ita appellant, Petri, sed in super iu-
 Imperium Germaniæ, in Regna Bohemiæ, Dalmatiæ, Croa-
 tiæ, Daciæ, Galliæ, Hispaniæ, Arragoniæ, Lusitaniæ, An-
 gliæ, Scotiæ, Hiberniæ, Russiæ, Hungariæ, Poloniæ, Sveciæ,
 Daniæ, atque Norvvegiæ, in quæ dominium sibi arrogant,
 Papæ, & jus quasi illorum hic defensum it Augustinus Steu-
 chus, Pontificis Bibliothecarius, in Laurentii Vallæ Decla-
 mationem *de Donat. Constantii lib. II.* Id est, compendio,
 ut dicamus, unus Papa dominus est omnium, κληρονόμος,
 πάντων, atque ei omnia subiecta, vectigalia omnia. Quan-
 tum putas ex *beneficiis* ei accedit lucrosissimis illis, quæ per
 varias orbis regiones confert, nempe quousque ei conce-
 ditur, & non accisæ ejus sunt alæ, & retusum dominium,
 per varia Reum & Imperatorum edicta Pragmatica, &
 Concordata; aliter ac Auctor Commentarioli, *de Auctorita-
 te Rom. Pontif.* qui adducitur in Rep. Romana Scriverii, cu-
 jus hæc sententia: *Papa est supremus Christianorum Ponti-
 fex, omnes Ecclesiasticas & seculares dignitates indifferenter di-
 stribuere potest.* Incredible dictu est, quantum ex benefi-
 ciorum, tum casuum, aut litium *reservatione*, Papali æra-
 rio semper accessent thesaurorum. Unde Continuator
 Chronici Abbatis Urspergensis, sub Imp. Philippo, in hæc
 verba erumpere coactus fuit: Vix enim remansit aliquis,
 episcopatus, sive dignitas Ecclesiastica, ve etiam parochia-
 lis Ecclesia, quæ non fieret litigiosa, & Romam deduceretur,
 ipsa causa, sed non manu vacua. Gaude mater nostra Ro-
 ma:

„ma: quoniam aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra,
 „ut ad te confluant rivi & aggreres nummorum, in magna
 „copia. Latere super iniquitate filiorum hominum, quo-
 „niam in recompensationem tantorum malorum datur ti-
 „bi pretium. Iucundare super adjutrice tua discordia, quia
 „erupit de puro infernalis abyssi, ut accumulentur tibi mul-
 „ta pecuniarum præmia. Habes quod semper sit iusti. De-
 „cant a canticum, quia per malitiam hominum, non per tu-
 „am religionem orbem vicisti. Ad te trahit homines, non
 „ipsorum devotio aut pura conscientia, sed scelerum mul-
 „tiplicium perpetratio, & litinum Decisio, pretio comparata.
 Quantos Purpura Cardinalium proventus afferat discamus
 licet vel ex joco Cardinalis *Bellarmini* quem in vita ejusdem
 consignavit *Jacobus Fuligattus* interprete *Sylvestro à Petra*
sancta p. m. 86. Nullus fuisse dignationis apud ipsum copiosos
 proventus indicavit lapide quando postquam privaverat se *Ca-*
pua Sacerdotio & ex duodenis aureorum millibus annue, ad sena
 tantum millia redactus fuerat cuidam Cardinali primario, qui
 percensuerat summam suorum reddituum annuorum ad sexa-
 ginta nimium aureorum millia dixit joco. Si ita est, hi magni
 redditus ex nihilo superant meos. *Lusit enim in quarta Vo-*
calium, quæ inter nota numerorum solitarie accepta nihilum
numeri est: adjecta vero senis millibus, quæ erant Censu an-
nuus Bellarmini numerum auget usque ad sexaginta millia. In-
ter quæ ludicra (uti pulchre inter ea seritur verum) ostendit eos,
quæ effluunt opes à se nihili æstimari. Archi Episcoporum au-
 tem, Episcoporum Abbatum & Clericorum universim in
 Collegiis & Monasteriis quanta sit opulentia fusius explicat.
Job. Hoornb, Disp. ad Bullam Innocentii X. abrogantis pacem Ger-
mania

mānia p. 55. Rex Angliæ Jacobus, in Apologia ad Reges,
 &c. ita illos alloquitur: quod si serio, qui auditis potentis-
 simi, consideretis, videbitis tertiam populi, terræque ve-
 stræ partem Ecclesia esse, & nihilne vos tantum vel homi-
 num vel ditionum detrimentum tanget? ubique locorum,
 Papæ & provinciæ & coloniæ acquiruntur. Antea Cle-
 rici præter decimas nihil petebant, & contenti erant. Ho-
 die Papa, Clericorum caput, non nisi cum tertia subdito-
 rum, bonorumque vestrorum parte acquiescit. Idem Prin-
 cipes Germaniæ olim in suis Gravaminibus: & Serenissi-
 ma Venetorum Respublica, in contentionibus suis hoc se-
 culo anno. cl. lvi. cum Paulo V. & ejus nomine Theo-
 logus ejus meritisimus Fr. Paulus Servita, peculiari tracta-
 tu, ostendit, nempe quod Clerici centesima duntaxat sub-
 ditorum pars, tamen plus quam tertiam in dominio Pa-
 taviensi possiderent, in Bergomasco ultra dimidiam, in
 cæteris ultra partem quartam. Unde Nicolaus Crassus I. C.
 in Antiparænesi, pro Rep. Veneta, adversus Baronium,
 non sine causa dixit; Centuplo vos majores facultatas &
 opes, quam pro numeros possidetis: & tamen pluribus,
 comparandis adhuc inhiatis. Atque quod hodie Jesuitæ,
 Reipublice offerunt quatuor milliones auri, in subsidium,
 belli Turcici, sed pro ipsorum reductione & restitutione,
 quam illustre tenuitatis ipsorum argumentum sit, quæso,
 perpendite: quo tamen non obstante, Illustrissimus Sena-
 tus, quamvis in grave hoc adversus Turcas bellum num-
 morum quantum egeat, jubet tamen illos cum istis suis,
 nummis perpetuum exesse. Auctor Vulgaris Historiæ,
 Gallicæ *Mercure Francois* ad a. 1611. ubi de Jesuitarum reditu,

„in Gallias agit, refert, unum aliquod ipsorum collegium,
 „habere in redditibus librarum 20000. Idemque ad a. 1608.
 „in canonizatione Francisci, ait, supra centum millia coro-
 „notarum expensa, ab ejus sodalibus, pro hac re fuisse. Et
 „quanti constiterit canonizatio Brigittæ, ab Urbano V. fa-
 „cta; Andreæ Corsini Carmelitani, Episcopi Fesulani, ab
 „Urbano. VIII. ad instantiam Ludovici VIII. Gall. Regis,
 „in Sanctorum Catalogum relati, ego non dicam, satis est de
 „eo dixisse & conquestos fuisse alios. Haud ita diu prodiit
 „calculus reddituum quos habent Clerici Gallicani, ipsorum
 „14. Archiepiscopatus, & Episcopatus 95. Parochiæ 140000.
 „Abbatia 1356. Prioriæ 12440. Commendæ 2061. Capella-
 „niæ 152000. Abbatia Religiosorum 567. Conventus Cor-
 „digerorum 700. Conventus religiosorum 14077. nempe
 „quod illi possident 9000 loca, castella, ac domus jurisdi-
 „ctionem habentes summam, medium, infimam. Vineas &
 „hortos ultra 17000. adeo ut deprehendatur, singulis annis
 „illos habere in redditibus nummorum 8200000. octoginta
 „duos milliones scutatorum: & singulis diebus 286301. scut.
 „& 20. solidos. Philippus Honorius, lib. *de Regno Gallia*,
 „hanc init rationem, ut dicat; ex terræ fructibus colligi cir-
 „citer quindecimimillia aureorum; quorum sex sunt Ec-
 „clesiasticorum, sesqui alter patrimonii Regii, reliquum pro
 „Principibus, Baronibus, aliisque: adeo ut Clerus bene du-
 „as quintas Regni partes teneat. Conquestus de eo jam
 „a. c1315. fuit Claudius Sefellius, vir ætate suâ inter pri-
 „mos, Ludovici XII. ad Leonem X. aliquot annos legatus,
 „episcopus postea Massiliensis, vel ut alii, Taurinensis, lib. I.
 „de Rep. Gallia, quando, ait: deinde maximavis pecuniæ,
 „quam

quam nostri ordinis homines, Ecclesiarum præfecti, ambi-
 tioni quædam & inexplebili cupiditate majora consequen-
 di, profundunt, non excederet provinciarum fines, quæ,
 nunc à Romanæ Curiaë sectatoribus & alumnis præter o-
 mnem modum expilantur ac diripiuntur. Scripsit Auber-
 tus Miræus *Notitiam Episcopatum orbis Christiani, & de Sta-
 tu Religionis Christianæ*, ubi quam numerosi ubique loco-
 rum sint Romani Clerici, & quæ, quamque immensa loca,
 teneant, ostenditur. Conradus Lovv, in historia Muham-
 medica, Germanicè, pag. 83 calculum refert Simonis V Vol-
 deri, Imp. Ferdinando exhibitum in Comitibus Augustanis,
 ut ostenderet, unde subsidia pro bello adversus Turcas fa-
 cillimè peti possent, aitque, monasteria Minoritarum ad-
 scendere ad quadraginta millia, atque ordinum trium reli-
 quorum, vid. Augustinianorum, Dominicanorum, & Car-
 melitarum æstimat non multum pauciora; atque quum in,
 universum sint Ordines septuaginta & duo, præter Cano-
 nicorum, & Virginum Collegia, & ecclesias parochiales,
 censet illorum omnium numerum accendere ad vigesies,
 centum millia: quæ judicabat ille levi tributo ad belli Tur-
 cici sustinenda onera in subsidium vocari posse. In Conci-
 lio Basiliensi deprehensum tum temporis Benedictini or-
 dinis in Europa fuisse 1517. monasteria, In Belgio nostro,
 dimidium terrarum quidem possedisse olim Ecclesiasti-
 cos, refert Meteranus noster, *lib. XXVIII.* in Brabantia qui-
 dem ex 350000. tenebant. In Artesia, ex 1600000. Cleri-
 ci 1500000, alii 300000. Abdiæ in Brabantia o. 1562. in re-
 ditibus habebant 50000. floribus. Istaque opum & proven-
 tuum clericalium abundantia ac amplitudo inter causas ad-
 ducta

„ducta fuit pro inducendis in Belgio novis illis pluribusq;
 „episcopis, à P. Paulo IV. in Bulla a. clō Iō lxx. d. ix. Maji, & à
 „Pio IV. in Bulla. a. clō Iō lxx. d. viii. Martii. Vide Thuanum,
 „*hystor. lib. XXII. Et la description de pestat de la Religion au Pa-*
 „*is bas, p. 49. 50.* Atqve jam olim eidem occursum fuit lege
 „de non legandis vel donandis Ecclesiæ bonis immobilibus:
 „in Belgio nostro, à Carolo V. aliisque ante eum Ducibus,
 „Comitibusqve nec absqve consensu Principis. De qua lege
 „Gvicciardinus in *Descript. Belgii pag. 74. 75. 229.* Eamqve
 „defendunt, Molanus lib. *de Piis Testam. cap. XXXV.* Et Jo-
 „hannes Driedo. *de Christiana libertate lib. II.* Meteranus
 „noster, *hystor. lib. II.* inter privilegia Brabantia & hoc refert,
 „quod non licet Duci statum Ecclesiasticum augere, aut pro
 „vehere, citra consensum Nobilium, urbiumqve. Ne de
 „Venetis, aliisque dicam, eandem legem tenentibus: quo de
 „videatur Ventura Vincentinus (ne alios addam, de quibus
 „suo loco dicetur) *Consil. super Controvers. Venet. cap. VII.* In
 „Anglia olim, Galliaqve idem obtinuit. Unde jam levi o-
 „culo est cernere, quanta Papæ & Papalium sit opulentia, &
 „quod pro solo superfluo, pompa ac fastu conservandis tan-
 „topere allaborent: quibus proinde etiam pares, ut vidimus,
 „artes ad conquirenda iliusmodi bona inserviunt: addatur
 „specimen impensarum quod ex Cancellari Camera Aulicæ ex-
 „cerpsit Carolus Caraffa Episcopus Adversanus in *Diplomatibus*
 „*Decretis & Privilegiis adjectis ejus Germania sacra restaurata*
 „*p. 218.* Quæ & quanta pecunia Ecclesiasticis & Religiosis Prage
 „ad meliorem sui sustentationem concessa sint. Monasterio
 „M. Jacobi, singulis septimanis concessi sunt 20. flor facit per an-
 „num 1040. item singulis hebdomadibus unum dolium alba cerevi-
 „sæ,

siæ, unus faccus tritici facit per annum 900. Porro proalen-
 dis duodecim Franciscanis juvenibus per annum facit,
 1400. Monasterio S. Annæ gratis 116. crim. 40.
 Monasterio S. Thomæ pro sustentando certo nume-
 ro Religiosorum singulis annis 1750. S. Mariæ ad nives ex-
 gratia singulis annis 944. cr. 40. Reverendis Capuzinis sin-
 gulis annis 305. cr. 20. S. Mariæ Magdal. nova additio sin-
 gulis annis 3500. R. R. Dominicis Jesuitis per singulos men-
 ses 500. taleri pro ædificiorum necessitate per annum facit,
 7000. Porro propter educandam & instruendam juven-
 tutem singulis mensibus 200. taleri, per annum facit 2800.
 Item illis ipsis Patribus, qui antea ex Dominio Chemez fue-
 runt soluti, jam vero per singulos annos concessi sunt 2333.
 cr. 20. Porro Personis servientibus apud Pragensem arcem,
 utpote Sacristano, Vicario, sex musicis, Præceptoribus 2.
 Capellanis, duobus Capellæ servis, Organistæ ipsique addi-
 ctis, item pulsatori, Discantistis & duobus ceras portanti-
 bus, ex gratia concessi, singulis annis 858. flor. qui antea
 nunquam fuerunt expensi, id est 858. D. Prælata & Capi-
 tulo Pragensis arcis Ecclesiæ per annum autem ab
 urbe soluti, nempe 350. Pauperibus in Hospitalibus su-
 pra Rothscin ultra annum deputatum singulis annis sunt
 concessi 1274. Reverendis Dominis Patribus Societatis Je-
 su relictæ à Domino Stephano Fabio Imperiali Quæstore
 3000. fl. cum censu 4035. R. R. Patribus Capuzinis Vienensæ,
 ab aliis in testamento deputati 1400. Beatissimæ Virgini,
 in Eull. ratione antiquorum reddituum 1201. Dominis Je-
 suitis Pragæ loco salarii 2121.

Pro sustentatione Ecclesiasticorum & solutione fun-
 dationum in Ecclesiasticos & fundationes apud Pragen-
 sem arcis Ecclesiam Cathedralem dati sunt. fl. 8301. cr. 49.

D

n. I.

„n. i. item 899. 6. 4. D. Franciscanis apud S. Jacobum in
 „antiqva urbe Pragæ 2617. 23. 3. item 1609. 29. Virginum
 „Monasterio apud S. Annam Pragæ in antiqva ibidem civi-
 „tate 165. 6. 4. Dominis Franciscanis ad S. Mariam ad Nives
 „Prage in Urbe antiqva 8819. 17. 4. item 1707. 30. D. Capu-
 „cinis 1521. 56. 1. item 1040. 19. 2. Religiosis ad quatuor de-
 „cim auxiliatores in Radaam 1231. 54. 1. Religiosis ad S. Ag-
 „netem in urbe antiqva Pragæ 180. 50. it. 35. Parocho, Can-
 „tori & Scholaribus in Cometarvv 651. 7. it. 968. 22. 2. Reve-
 „rendis Dominicanis apud S. Mariam Magdalenam Pragæ
 „in parva Civitate 1899. 20. it. 3996. 20. Reverendis Patri-
 „bus Jesuitis ibidem 19366. 40. Reverendis Patribus Jesui-
 „tis in Cometarvv III 191. 34. 3. Hospitali in Ratschin. 365. 32. i-
 „tem II. 40. Eleemosinario 1246. 40. it. 600. item servien-
 „tibus Personis apud Cathedralem Pragensem Ecclesiam.
 2347. 40. Unde patebit, quantos proventus habeant
 particulares tantum Ecclesiæ idque eo magis & libentius
 communicavimus cum B. L. quod Caraffa exilem in Ro-
 mana Aula reportarit gratiam hac enumeratione & Libel-
 lus non omnibus obvius sit. Tantæ ergo sunt divitiæ Ec-
 clesiasticorum passim ut Principes redditus Romanæ Eccle-
 siæ circumscribere necesse habuerint quo videatur *Ascianus*
in Montibus Pietatis p. 706. Et quidni Ecclesiæ Romana un-
 dique tantas opes pareat cum tot aucupiiis sit introducta.
 Quos & quantos redditus non capit ex *parvis donatis*, ex
palliis Episcopalibus vel Archi Episcopalibus: coguntur enim sin-
 guli Episcopi & Archi Episcopi jam promoti dignitatis suæ
 insigne à Papa pallium pro confirmatione redimere 25000.
 aureorum. Sub Maximil. I. unius hominis ætate à septem
 Archi

Archi Episcopis Moguntinis sibi succedentibus redempta septem pallia in Pontificis Romani thesaurum intulerunt 175000. aureorum. Hinc moriturus Archi Episcopus Jacobus non tam angere se agebat de instanti morte, quam quod subditi pauperes pro redimendo pallio tam gravi tributo rursus sint premenei. Qvis & quantos redditus non capit ex *Confirmationibus, galeries, annulis, reservationibus, mensis Papalibus, passagiis*; Quantum non confert insignis iste modus acqvirendi ex *annatis*, quæ sunt integri redditus Episcopis vel Abbatibus Ecclesiam Pontificiam agnoscentis, quos sibi vendicat & accipit Pontifex ab eo, qui Episcopo vel Abbati defuncto succedit. *Clemangis in Libro de Annatis non solvendis*, numerat ex Ecclesiis Gallicanis hinc emungi ad sexcenta nonaginta septem millia septingenta quinquaginta Francorum. Unde quanta per alias etiam Orbis regiones summa sequatur facile colligi potest. Fœcundissimus pariter acqvirendi modus *sunt indulgentia*, quibus nummis luxus & prodigalitas Pontificiorum mirandum in modum sustentantur. Unde Cæsar Borgias cum aliquando centum millia aureorum alea perdidisset, fertur dixisse, *peccata illa Germanorum*. Confirmat id palatium Campesgiense Bononiæ, quod ideo per jocum *peccata Germanorum* appellantur. Samson Mediolansis qui Tiguri & in Helvetia indulgentias tum temporis, quo hic Tetzelius eundem fumum vendebat, habebat venales ex illis supra 120000. ducat: lucratus fuisse dicitur. *Conferatur eo Job. Hoornb. l. c. p. 54.* Et quid de *jubileis, collationibus officiorum, gratiarum & dignitatum, cœnobiis, votis, dispensationibus memorem?* cum omnia eo tendant, ut Sedi Romanæ opes inexhaustæ

parentur. Purgatoriū adhuc super est certissimū illud vecti-
gal, quo nullum unquam feracius de quo si quis alius veris-
sime pronunciauit *Severinus Monzambano* (vel quisquis tan-
dem sub isto nomine latet,) *Tractat de Germanico Imperio p.*
m. 314. Ego quidem nulli alia de causa Purgatorium à Pontifi-
ciis effectum crediderim, quam ut iis quoque census imponatur,
qui cum vivis censeri haud amplius possunt. Conf. *Dn.*
D. Job. Strauch Dissertat. de Statu Ecclesiast. & Cancell. Pœ-
nitentiar. *Hornbeck ad Bullam Innocentii. X Hottomannus*
in Bruto folumine. Taceo donationes Imperatorem Regum
Principum, Nobilium &c. Refertum est talibus donationi-
bus spissum opus *F. Ughellii*, quod vocat *Italiam sacram*
quam vide, ut & *Sammartianorum Fratrum Galliam Chri-*
stianam. Jungatur his *Caraffa in Cancellaria Camera Aposto-*
lica. *Moltkenii Conclav. & Laur, Banck. in Taxa Camellaria*
Apostolica. *Thomas Stapletonus in admirandis ecclesie Roma-*
na. Ex quibus reditus Pontificiæ ecclesiæ satis superque-
addisci poterunt. Concinne quondam dixit *Ferus in*
Matthæum Cap. XVII. *Petrus piscaturus pecuniam homo tan-*
tum utitur & contentus est; piscaturus homines retia laxare ju-
betur. Nunc omnia contrario modo fiunt ad piscandas divitias
lata illa retia extendimus ad piscandos homines vix hamo uti-
mur. O tempora nostra, O Petri successores. Sed enim vi-
dentur Pontificii & sic quoque feliciter stabiliendæ & pro-
pagandæ ecclesiæ suæ Consulere dum abundantia opum in-
escant homines & vel summa quoque Capita ad se isthoc
modo pertrahunt. Quod ne gratias in papæos dixisse vi-
deamus, dictis fidem faciemus ex invitatione *Fr. Augusti-*
ni Gibbonis de Burgo in Lutbero-Calvinismo Schismatico quidem,
sed

sed reconcibiabili. p. 33. Est sane inter alia alde timendum, ne Illustrissima Principum Protestantium Germania domus penitus sint peritura, si reditum ad ecclesiam diu procrastinent. Quia Deus speciali sua providentia singulis tot proles concedere dignatur, ut si inter (illas prout leges Germanie prescribunt) eorum Principatus (uti jam partim divisi) sunt continuo dividantur, necesse est paulatim eorum stemmata à debito & antiquo splendore degenerent. Cui malo non video, quo meliori modo occurrere possint, quam dimisso Lutherò Calvinismo ad ecclesiam Romano Catholicam redeundo, in qua ipsorum filiis ac nepotibus sufficienter erit provisum. Alii enim possunt esse Cardinales, Archi Episcopi & Episcopi. Alii Propositi, Decani, Scholastici & Canonici summarum adinm seu Ecclesiarum Cathedralium. Alii denique sacris ordinibus divino cultui mancipati, derelictis omnibus Deo voluntarie se offerere poterunt & sic Domus ac stemmata in natu majoribus cum debito splendore conservabuntur. Jam vero quotus quisque eo animo præditus est quem Helmontius in Studiis suis n. 6. p. 16. prodidit. Cononnicatus opimus mihi, scribit, promittebatur modo Theologia me emanciparem; Sed deterrebat me S. Bernhardus, quod peccata populi comederem. Ex quibus omnibus efficitur opulentiam undique accuratam per nullam posse & ad propagandam & diutius & ad amplificandam longius latiusque hæresin Pontificiorum.

§. V. Alteram rationem hæresis Papæ multum superstitis sufficit Carnalis Pontificiorum prudentia, quando quidem expressissimam imaginem Rationis status exhibet. Gentibus equidem genus Theologiæ Politicæ fuisse usitatum testis est apud Augustinum de civitate DEI Cap. 5. 6.

D 3

§ 7.

„*§ 7. Varro*: Tria sunt genera Theologiæ, eorumque u-
 „num Mythicum appellatur, alteum Physicon, Tertium
 „Civile. Mythicon appellant, quo maximè utuntur
 „Poetæ. Physicon, quo Philosophi, Civile, quo populi.
 „Primum, quod dixi, in eo sunt multa contra dignitatem,
 „& naturam immortalium ficta. In hoc enim est, ut De-
 „us alius ex capite, alius ex femore sit, alius ex guttis san-
 „guinis natus. In hoc ut Dei furati sint, ut adultera verint,
 „ut servierint homini. Denique in hoc omnia Deis attri-
 „buntur, quæ non modò in hominem, sed etiam in con-
 „temptissimum hominem cadere possent. Secundum ge-
 „nus est quod demonstravi, de quo multos liberos Philo-
 „sophi reliquerunt. In quibus est, Dii qui sint, ubi sint,
 „quod genus, quale, ex quoniam tempore, an sempiter-
 „nò fuerint, an ex igne sint, ut credit Heraclitus; an ex nu-
 „meris, ut Pythagoras; an ex atomis, ut Epicurus. Sic alia
 „quæ facilius intra parietes in Schola, quàm extrà in forro
 „ferre possunt aures. Tertium genus est, quod in urbibus
 „cives, maximè sacerdotes, nosse, atque administrare de-
 „bent; in quo est, quos Deos publicè colere, quæ sacra &
 „sacrificia facere quemquam par sit. Prima Theologia maxi-
 „mè accommodata est ad Theatrum: secunda ad mundum
 „tertia ad urbem Hactenus Varro. Qvis autem ferat religionè
 „Christiano Politicâ. Qvis Statisticâ? At qui *Car. de Grobendoney*
 „Lojolita nomine Sociorum omniû Politicisimû operose de-
 „pre cari instituit *de Ortu & progressu Spiritus Politici* cui vo-
 „lumini præfixit Librum proemiale in quo *Antipolitica* quæ
 „suppeditet Romana religio utramque paginam faciunt. Illa
 „autem

autem his persuadebit qui ex cœcæ fidei & obedientiæ voto laborant. Statisticam enim quis non firmiter adserat Pontificorum religionem, quia ad Monarchiam h. e. ad commoda temporalia unius Monachi sive Papæ omnia dirigit. Is enim articulus de Capite summo Ecclesiæ visibili & infalli-
 billi, Pontifice Romano, à quo reliqui omnes non absque maxima tyrannide dependent; quo sensu non male B. Hulsemannus in Indice Manuali Papam, inquit, esse caput Oecumenicum, solus est fidei Papisticae Articulus, nihil prætere-
 terea. Propter hoc Compendium Paulus IV. Pontifex a. 1555. apud Lancelott. Andr. in Tortura Torti p. 142. Elisabetham Angliæ Reginam in gratiam recipere jusque Sacrorum integrum ipsi relinquere volebat, si in Primatum ipsius consentire vellet. Hoc enim salvo salva sunt aut evadunt omnia. Quem in modum Græcæ in Russia Polonica Ecclesiæ & Maroniticae in monte Libano sensim in Pontificias fuerunt, mutatae, quibus primo (agnoscerent modo Pontificem ac in Primatum ejus consentirent,) facta fuerat copia suarum opinionum priorumque rituum. Vid. Milletus de Necessitat. Papat. p. 8 Contra, Bellarminus Protestantes, etiam si cœtera omnia cum Papistis credant conciliari cum his non posse, quamdiu Romano Episcopo tanquam capiti se non subjiciant, fatetur, L. III. de Laic. c. 19. Verba sunt B. D. Valentini Alberti, Viri laude nostra majoris interesse Relig. p. 41. 42. § 66. Itaque hæc religio ad Status Rationem præcipua sua disponit dogmata ut aut Curia Romana potentia aut utilitas respiciatur. Patet id ex omnibus articulis fidei Christianæ, quos Pontificii curiali & culinari suæ religioni inservientes adulterant. Interdictum sane de non legenda Scriptura Sacra (ut de principio religionis ordiamur) omne arbitrium fidei & morum

morum ad Pontificem defert ut adeò facile *Papæ Primatum, Potentiam Infallibilitatem* adstruant, quorum Consectorium est, quod illa Ecclesia solum dicenda sit vera, quæ Pontifici Romano adhæret ac unitur ceu membra aduniuntur corpori. Ita ergo Ratio Status jubet, ut Laicos à Lectioni Sacri Codicis abarceant, (de quo hac ipsa hebdomade Deo dante plura adversus *Nicolaum Le Maire* (autore Nobilis de Dn. *Klinio*) in Sanctuario profanis occluso agemus ut Verbum Dei insufficientiæ & obscuritatis arguant. Et quod ad obscuritatem quidem attinet, nescio quomodo sibi constent Pontificii, cum & Scripturam obscuram dicant, & nihilo tamen secius ex eadem *ut pote Matth. XVI, vers. 18. Job. XXI, v. 15. 16.* probare conentur Episcopum Romanum solum Christi Vicarium in Ecclesia visibili ac caput in Divi Petri Persona constitutum fuisse. Quid enim ex obscuris adeo & metaphoricis locis tantam sibi asserit auctoritatem Papa, cum prius ex evidentibus & utrinque concessis Principiis probatum oportuisset Papam esse infallibilem: (quanquam cum Ecclesia Gucca stultitiam arbitremur dicere: *Romanam Ecclesiam errare non posse, longeque melius illam tempus impendisse, si id operam dedisset ne errasset, quam quod tanta contentione voluerit probare se errare non posse vid. G. Fhelavi Epist. Dedicat. præmissa Interpr. Lat. Libr. à Christoph. Angelo de Ritù & Statu Græcæ Ecclesiæ conscripti.*) Probatum oportuisset esse Ecclesiæ Principem. Insufficientiæ autem quod Scriptur. postulent id tam manifesti *rationem Statq* arguit quam obscuritatis nocta Pontificiorum arguit Stoliditatem. Hinc enim Scripturam S. solam pro principio religionis non agnoscunt sed adjungunt *Traditionis tum ad fidem, tum ad mortes pertinentes,* quarum valorem Concilium Fr. Scripturæ Sacris adæquavit.

vit. Quare autem id? Viderunt quippe multa se pro religio-
 ne asserere, quæ ex sacris literis probari minime omnium pos-
 sint, alla autem sibi valde esse proficua. Igitur istis addendæ
 fuerunt traditiones quæ supplerent in S. Codice omissa, ad-
 dendi fuerunt Patres, qui castratione & indicibus expurga-
 toriis ad *rationem Status* ad hypotheses erant ac commo-
 dandi. In confesso adeo est & Curia Romanæ potentiam
 & utilitatem spectare. *Articulus de bonis operibus* quibus
 vim meritoriam adscribunt, quod vere vitam æternam
 promereantur, non minus à Pontificiis *ad rationem Status*
 deflectitur: dum illa plerumque dicuntur esse bona opera,
 quæ à Sacerdotibus definiuntur ad utilitatem suam qualia
 sunt processiones, peregrinationes ad Loca Sanctorum, co-
 ronationes imaginum, dotationes monasteriorum. Suc-
 centuriatæ huic arcano doratæ istæ nugæ sunt de Indulgen-
 tiis Missis & purgatorio, cuius fictæ flammæ focum Cleri-
 corum admodum luculentum, quod testatur historia, effe-
 cerunt, ut undique ex utili violetur *justificationis* veritas.
 Dogma *de Sacramentis in genere*, quantis non *Status Clerics-*
is arcanis involutum? Septem sunt effecta Sacramenta, quo
 frequentius Sacerdotum opera indigerent homines. *Eu-*
charistia commodissimum dignitatis Sacerdotalis augendæ
 evasit instrumentum postquam *ποτηνευκλεψια* & Trans-
 substantiationis figmentum invaluit. Namque Calicis, Eu-
 charistici usus meliori Christian. numero, tanquam profanis
 ademptus, Clericorum verò Ordini peculiariter vindica-
 tus nonne eminentiam sacerdotum supra Conditionem re-
 liquorum hominum splendide evexit, & cum Regum, qui-
 bus singulari indultu hoc quoque permissum auctoritate a-
 daquirunt. *Videatur Dissertatio nostra de Communione Regis*
 Gallie

Gallia sub una. Deinde quis summa veneratione non dignos
 judicaret homines qui Christi corpus, cui thesauro simile
 quid in rerum natura cogitari non potest, conficere, vel levi
 murmure & suum creare possunt creatorem; ut adeo Eu-
 charistiæ mysterio ad eminentiam & amplitudinem Clero
 conciliandam abusa sit Curia Romana. Jam vero quid at-
 tinet dicere quomodo *Confessionem & pœnitentiam* utilem
 & fructuosam dominatui suo reddiderit Pontifex. Enume-
 ratio siquidem omnis non peccatorum Concilio Tridenti-
 no *Sess. XIV. Cap. V.* Sancita est, ut si dives reos adsit, institu-
 ta taxatione lucrum redundet ad sacerdotem, simulque co-
 laturis qui arcana pectoris scrutari & nosse habet potesta-
 tem ceu iudex à Deo Constitutus, deinde, ut recessus ani-
 morum cognoscentes inde *Statui suo* aut caveant aut emo-
 lumentum captent. Ordo pariter religiosorum i. e. otioso-
 rum hominum, quos Monachos dicunt institutio nihil a-
 liud quam *Rationem Status* spectat. Ideo enim Papa eos
 confirmavit, ut plures forent qui Ecclesiæ rebus invigila-
 rent & attrahendis Laicorum Bonis hamos jacerent. Quo
 vergit invocatio Sanctorum nisi quod Papa uti pro plum-
 bo annuli piscatoris; aurum, pro linteo exigui Pallii tantam
 pecuniæ summam accipit ita quoque ossa, quæ autem non
 theatro sed sepulchro se deberi clamant, auro contra cara red-
 dere voluerit. *Interdicti Clericis conjugii expedita est ratio Sta-*
tus: ne curæ illorum propter res œconomicas distrahantur,
 ne amplissima Ecclesiæ bona dividantur aut ab alienentur
 per posteros: ne Magistratui Politico propter familiam Con-
 juges & liberos præsertim post obitum fierent obnoxii. Quæ
 ad potestatem Ecclesiasticam spectant utpote *Casus reservati &*
excommunicationis fulmen quantum ad stabiliendam Ratio-
 nem

nem Status adferat momenti notius est quam ut fusius hic nobis edisserendum sit. Ut nil dicam *de violenta heresi propagandi ratione, inquisitionibus hispanicis, reservationibus mentalibus, congregationibus de propaganda fide &c.* quibus de videas eruditissimum commentarium *Asiani* de Nervis Ecclesiae Romanae. Et haec quidem ex dogmatum Concinnatione politica sive Statistica Curiae Romanae durationem & propagationem spectant ut nullus status sit sive Politicus sive Ecclesiasticus sive oeconomicus qui consiliis illis *Marchiavellitici* allici non possit. Opifici vel Superstitio sufficit lucri & mercedis materia. Militi stipendia paratissima ob nervum rerum gerendarum inexhaustum. Sacerdoti honos regius conciliatur undique abundantia instruitur. Summi pariter & imi & qui otium & qui negotium consecretantur hic invenire videntur. Ut adeo mirum non sit, siquidem doctrina Doctoris Angelici *Thomae 22. qv. 189. a 9 qv. 100.* *Munusculis alios ad religionem fas esse,* (quam brobat *Lorinus in Numerorum cap. 10 v. 29. seqq. p. m. 346.*) observetur, alios quoque adduci & ratione Satus undique dementari, ut & in opulentia & in Ratione Status sibi religionem fingant. Firma autem & diuturna talis religio propter praesentis seculi genium.

§. VI. Quas sibi circumdederit munitiones haeresis Papaea haecenus vidimus, quae quidem ita comparata sunt ut cum genio seculorum sequiorum apprime congruant atque vel ideo etiam adiuturnitatem conferant. Superest ut *divina Providentiae vim* circa haeresin Pontificiam multum superstitem expendamus. Et enim cum propter malitiam Diaboli oporteat esse haereses existimari potest Deum pro inexhausta benignitate permittere, ut ejusmodi haeresis aetatem ferat, cujus absurda tam manifesta sint ut instar *Aegyptiacarum tenebrarum* manibus palpari queant. Reputare in eo sortem ecclesiae licet quae cum Israelitis ad veram promissionis ita adspirat, ut hostes quidem obterantur interim tamen maneat, qui exercere fideles non desistant. Jam vero homines Deus omnibus modis reddere vult *ἀναπολογήτως*, ne qui in subtilitate erroris praesidium sibi forte collocent & Simpliciter veniam sibi concessi postulent. Et haec fuerunt fere, quae pro ratione temporis & instituti de haeresi Papae multum superstite commentari placuit. Deus autem aeterni auctor Evangelii nos sibi uni servet sequestratos a prudentia seculi hujus, donec in caelo postquam militatum est, fiamus multum triumphantes, multum superstites.

§ (o) §

Per Eximio Ornatissimo

DN. RESPONDENTI

JOH. ANDR. *Gleichen/*

S. P. D.

JOH. FRID. MAYER,

SS. Theol. D. & Prof. Publ. Ord.

Optimo Te, ut mereris ornare testimonio eos propter forte faciendum existimavi, à quibus abes: quos enim præsentis pietate colis, illos facile politioris solertiæ instrumento in formam modestæ concinnitatis adornato ita allicis, ut confirmes exemplo tuo Virtutem non egere favoribus. Famam autem ut quoque in laudem tui vocares placuit Speciminis loco hanc quæstionem nostram edisserere: in quo sane apparuit quam solido apparatu bonarum artium sis instructus, quibus ad Theologiam excolendam cum fructu te confers. Non attinet sigillatim doctes percensere tuas; sufficit Te *optimorum & præstantissimorum simillimum dixisse*. Gratulor potius Patronis, Parentibus omnibusq; tuis quod nusquam spes eorum frustreris, nisi in eo quod exuperare quodammodo etiam videaris. Faxit porro Clementissimum Numen, ut tam propitia Tibi facta ordinentur, quam generoso conatu in Studiorum Curriculo ad Commoda Ecclesiæ olim promovenda Contendis. Vale.

*Dab. Vitembergæ apud Saxones
pridie Calend. Maj.*

R,

eos
bus
s fa-
no-
mes
am
pe-
e; in
um
len.
dos
re-
tius
am
vo-
isfi-
tur,
ad
dis.


ULB Halle 3
003 792 668


05 A 2407

VDT7







JESU FORTUNANTE!
DISQVISITIO THEOLOGICA,

Quare hærefis Pon-
tificia inter reliquas præci-
puo quodam & perenni vigore
unice superet?

QVAM

*Consentiente Summè Reverendo Theo-
logorum in hac alma ordine*

PRÆSIDE

DN. JOH. FRID. MAYERO,
S.S Theol. D. ejusdemque Prof. Publ.

Ordin. Alumn. El. Ephoro, Templi OO. Sancto-
rum, quod ad arcem est, Præposito Sub-
stituto, &c.

DN. PATRONO ATQVE PRÆCEPTORE SUO
*æternum devenerando,
publico Eruditorum examini sistit*

JOHANNES ANDREAS *Gleich*/

Gerâ-Variscus,

EDITIO SECUNDA 1699.

WITTEBERGÆ, TYPIS CHRISTIANI FINCEL